



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

6. Pseudopolitica severitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](#)

imperium suum hac virtute stabilivit ; quæ tanta in eo fuit , ut Darius Persarum Rex manus ad cælum tendens precaretur : *Dii patrii primum mihi stabilitate regnum ; deinde , si de me jam transactum est , precor , ne quis potius Asia Rex sit , quam iste tam justus hostis , tam misericors vîctor.* Curt. lib. 4. c. 26. Alexandro par Julius Cæsar , rerum potitus , statuas Pompeij dejectas , honorificè reposuit . Tum Cicero , Cæsar , inquit , dum Pompeii statuas reponit , suas stabilit . Plut. in Apophth. Sapienter Sallustius in bello Jugurthino : Non exercitus , neque thesauri præsidia regni sunt , verum amici , quos neque armis cogere , neque auro parare queas ; officio ac fide parantur .

VI. (g) Errant ergo Pseudopolitici & Machiavellistæ , quorum hæc sunt principia & axiomata , quæ Principibus instillant : *Subditos preme , ne rebellent : eos tributis agrava , ut eorum paupertate te dites & robores : metu eos opprime : oderint , dum metuant . Eis vires , opes , & animos adime , ut servos tibi facias & mancipes : arcibus urbes doma , ut semper sint sub fulmine.* Vedit meliora , docuitque Seneca , Neronis præceptor , qui ad eundem scribens lib. de Clement. Non est opus , inquit , latera montium abscondere multiplicibus muris , ac turribus sepire : salvum regem clementia in aperto præstabit ; crudelitas hostes multiplicat . Obscurus huic monito Nero , initio imperii , cum rei cuiusdam capitis damnati sententia subscriendum esset , exclamavit : *Vtinam nescirem litteras ! Felix , si media & ultima primis respondissent . Theodosius Junior rogatus , cur neminem eorum , à quibus lœdebatur , multaret , respondit : Vtinam liceret mihi & mortuos ad vitam revocare ! Alphonsus Arragonum Rex nimia lenitatis insimulatus , dixit : Malo multis mea clementia & mansuetudine servare , quam paucos mea severitate perdere . Egregie hoc , & ad genium Austriacæ gentis , quam in suam potentiam & tot regna laus clementiae provexit . Malus custos diuturnitatis est metus ; benevolentia valet ad perpetuitatem . Qui se volunt metui , necesse est , ut ipsi metuant quam plurimos . Metuatur ergo Jupiter Tonans , Fulminans , Vltor ; sed magis colatur & ametur Jupiter Custos , Conservator , Opifactor , unde nomen habet , scilicet à juvando .*

VII. (h) Sed quid ? Jupiter Rex Divum , hominumque , ut libidini serviret , in varias animalium formas abiit . Quis hoc de summo deo vel ausus est credere , vel fingere ? Poëtae . Senecam audiamus c. 26. de vita beata . Sic vestras hallucinationes (imperitos philosophiz Stoicæ alloquitur) fero , quemadmodum Jupiter Optimus , Maximus in-
eprias

(g) Pseudopoliticus error , nimia severitas . (h) Exemplum malum Principi .